



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

**Agustín, Antonio**

**Parisiis, 1672**

XVIII. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**

Archidiaconum cogebat, facile potest discerni. Si enim consentiens pari pœna cum faciente puniendus est, multo magis ille qui cogit, reus admissi criminis probatur.

## DE EADEM RE.

*Dialogus decimusoctavus.*

**C.** Quid illud est quod apud Gratianum legitur ex Nicolai responso ad consulta Bulgarorum: *A quodam Iudæo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis.* Quo pacto is qui Iudæus erat potuit paganus esse, aut de eo quem certum erat Iudæum esse dubitabatur num Christianus esset an paganus? **A.** Consulisti fontes ejus capitis? Nuper enim prodierunt illa Nicolai responsa. **C.** Consului. Caput est centesimum quartum, non tertium, ut Demochares edidit. Varietas verborum nulla est, neque etiam apud Ivonem Carnotensem *a. A.* In libro Cæsaraugustano *b* inveni *A quodam viro, pro A quodam Iudæo, scriptum. quod mihi vehementer placuit. Sunt qui putent illum Iudæum natione fuisse, non religione. C.* Id mihi non fit verisimile. (1) Sed cur magis credendum est huic libro quam fontibus ipsis? **A.** Quia non sunt ipsi fontes, sed fontium imagines. Idem de veteribus libris dicendum est, in quo plerique falluntur. Dum enim putant satis esse, si quid in veteri libro invenerint, referre, etiam ea quæ rectè edita sunt mutare au-

N iiij

*De consec. d.*  
4. c. 24. A  
quodam.

*a Ivo lib. 1.*  
*tit. 2. c. 22. pa-*  
*norm. & part.*  
*1. c. 148. decr.*  
*b Cæs. lib. 12.*  
*c. 62.*

dent. Sed multò tutius est probare priùs omnia & cum priori & posteriori sententia conferre. Et quia de falsis inscriptionibus aliis diebus actum est, vide quid in hoc eodem libro Cæsaraugustano & in alio veteri legi Syricio Papæ adscriptum: VINO agrotum baptizari posse, modo in nomine Trinitatis baptizetur. C. Hoc Ecclesia catholica non recepit. B. Neque Syricius hoc unquam dixit, sed vanus aliquis semipaganus. Quid illud quod apud Ivonem *c* inveni ex Augustini libris *d* acceptum, *Concilium Sardicense Concilium Arianorum fuit?* A. Ego id non apud Ivonem solùm, sed etiam in aliis libris legi *e*; & aut Augustinum falso deceptum fuisse putavi, aut ea verba non esse Augustini. Et in Africa fuisse id Concilium non rejectum apparet ex Concilio Carthaginensi primo cap. v. *f* in quo sanctissimum Concilium appellatur; licet sextæ synodi patres, in quibus ipse Aurelius Augustinus fuit, non adgnoverint duos esse ejusdem Concilij canones qui à Legatis Romanis Concilij Nicæni esse dicebantur. Mitto quòd in Corpore canonum & in omnibus Græcis & Latinis collectionibus Conciliorum habeantur, & in Leonis IV. epistula inter eos numerentur per quos judicant & judicantur Episcopi. (2) Sed quò progredimur? Redeamus ad Antonini notas. B. Non multa reliqua sunt. Quorum primum est de differentia ejus qui veterem hæresim defendit, & ejus qui novam suscitavit. illum excommunicatum esse & suspensum ab

*Cæs. li. 12. c. 9.*

*c Ivo par. 4.  
c. 80. dec.  
d Aug. contra  
Cresconium  
li. 3. & 4.*

*e Cæs. lib. 1.  
c. 47.*

*f Dist. 71. c.  
6. Privatus.  
al. Primatus.*

*Distin. 20. c.  
1.*

*24. q. 1. in  
prin. & c. 4.  
Audivimus.  
p. 1.*

executione ordinis & jurisdictionis, & sic neminem posse excommunicare; de alio Gratianus dubitat, quia toleratur & non reicitur ut excommunicatus, & sic valent ab eo gesta. Joannes & Antoninus omnes esse excommunicatos affirmant, & neminem posse excommunicare, licet alia gerat dum toleratur. A. Non id aperte Gratianus dicit quod isti notant. Servandæ autem sunt Lucij tertij & Innocentij tertij constitutiones. (3) B. Quædam postea notat beatus Antoninus; sed oblitus est locum certum indicare in quo ea Gratianus scripserit. Sunt autem ea quæ refert distinctione quinquagesima, non in eadem illa causâ xxiv. in qua superiora continebantur. Quæritur de lapsis post baptismum in aliquod crimen & pœnitentibus, an possint ad ordines sacros & dignitates vel parochias promoveri, aut jam promoti permanere post crimina in eisdem & ad alia promoveri queant. Refertur Gratiani distinctio, ut si verè eos pœniteat, utrumque possint; si fictè, neutrum possint. Obicit hic noster exceptionem de his criminibus quæ inducunt irregularitatem. Neque enim pœnitere satis est, sed superioris dispensatio est necessaria. Alia distinctio Gratiani est, si crimina sunt occulta, tunc possint promoveri; si manifesta, non possint. Sed eodem modo addatur exceptio irregularitatis; & ex qualitate criminum cognosci poterit an requiratur dispensatio, & an dispensare debeat Episcopus vel Pontifex Romanus. A. Hoc ipsum Gra-

*cap. Ad abolendam. c. Excommunicamus. De hæret.*

*Dist. 50. c. 24. Sacerdos. p. Quomodo.*

*ca. 32. Presbyteros. in fine. c. dist.*

tianus fateretur. (4) B. Capitale crimen extremo loco positum est adversus Gratianum de pœnitentiis distin. 1. & ejus fratrem, ut vulgus putat, Petrum Lombardum, quem Magistrum sententiarum appellant. Ambo enim fratres quæstionem proponunt an sit necessaria oris confessio, quam sacramentalem vocant, ad remissionem peccatorum, vel sola contritio cordis & secreta satisfactio sufficiat, etiam si copia vel facultas adsit Presbyteri. Neuter solvit quæstionem: immo Gratianus multis in utramque partem relatis ait: *Cui autem harum potius adherendum sit, lectoris iudicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.* Mox addit Theodori Cantuariensis verba: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia, & quæ sequuntur.* A. Cabilonenis Concilij secundi sub Carolo verba sunt cap. xxxiii. Referunt etiam Capitularia g & Burchardus h & Ivo i. Sed hi duo ut Gratianus. Capitularia & Concilia carent illis verbis, *ut Græci*; item illis, *ut tota ferè sancta Ecclesia.* Et Gratianus quæstionem aliis verbis proponit. Neque enim is illa addit, *cum facultas adest Presbyteri.* Et cum hæc quæstio ante Innocentij tertij in Concilio generali cap. xxi. constitutionem proposita fuerit, à beato Thoma & Antonino uterque frater crimine liberatur. non quòd sacramentum pœnitentiæ non sit à Christo institutum,

De pœnit. d. 1.  
c. 88. *Quamvis. p. Quibus. & c. ult.*

g Capit. lib. 7.  
c. 58. *in addit.*  
h Burc. lib.  
19. cap. 145.  
i Ivo part. 15.  
c. 155. *decret.*

De pœnit. &  
remis. c. Omnis.

cujus partes sunt contritio, confessio, & satisfactio, ut in Concilio Tridentino aperte definitum est; sed quo tempore confitendum esset sacerdotibus, hoc tum primum declaratum est. B. Vis dicam quod sentio? A. Quid est, cur opus sit veniam petere? B. Tota hæc distinctio plus nocet nobis quam prodest. Malè autem inserta sunt hæc, ut quæstio tertia causæ xxxiii. & postea aliæ quæstiones & causæ additæ. Præstitisset de pœnitentiis post omnes causas ante tractatum de consecratione conscribere. A. Sunt qui putent hos duos tractatus non esse Gratiani, quamvis Gratianus ipse aliquot locis, in causis, eorum faciat mentionem, & in quibusdam libris non esse distinctos capitibus separatis. Numeris autem capitum certum est nullum Gratiani volumen fuisse distinctum ante Contianam editionem. C. Cur tu eos numeros non sequeris, sed aliam rationem? A. Ego numeros addidi ante eam editionem; neque divinare potui quid in ea scripturus esset Contius. Varietatis causa est, quòd ille caput secundum appellat quod ego primum esse puto. Principium enim quæstionis primum caput appellare nolui, quotiens verbis Gratiani constat. Est etiam alia varietatis causa in capitibus Paleæ nomine adscriptis, quæ ab eo nonnunquam omittuntur, aliquando numerum augent. Sed quid Romani selecti viri de hac prima distinctione statuunt? B. Hæc verba in scheda inveni: *Tractatus hic de pœnitentia non videtur esse Gratiani, sed*

alicujus paullo antiquioris; & totus huc videtur translatus; deestque in exemplaribus antiquis. A. Non esse antiquioris Gratiano apparet, quia multa ex Digestis adfert & ex aliis libris juris civilis, quæ omnia sunt Gratiani tempore quasi postliminio restituta. B. Nimius est in his referendis & valde ineptus. Sed alia verba referam selectorum virorum. Verbis Gratiani in extrema hac distinctione *Cui autem harum &c.* hæc adscribi jusserunt: *Errat in hoc Gratianus. Et non est dubitandum quin peccata mortalia, quantumcumque occulta, sacerdoti secretò sint confitenda; & nullus defendit alteram opinionem, quam quisque voluerit.* Item verbis Theodori vel potius Concilij Cabilonensis alia addunt. Cùm enim ita scriptum sit, (*Confessio itaque quæ soli Deo fit, quod est justorum, purgat peccata. Ea verò quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata.*) adiciunt Romani: *Non docet, sed efficit veram purgationem; & sacerdos tanquam Dei minister verè purgat à peccatis. Et glossa in verbo docet errat dum ait: Hoc est signum sacerdoti quòd peccata dimittuntur confitenti per contritionem. Nam verè dimittuntur per absolutionem sacerdotis. Et falsum est quòd ipsa absolutio sit signum remissionis, cùm sit causa efficiens remissionis.* Illud etiam mutant quod in eodem capite dicitur: *Deus namque salutis & sanctitatis auctor, sanitatis auctor* scribendum censent. & postea, *hanc suæ potentie medicinam, non suæ pœnitentiæ, utrumque ex Conciliis; nisi*

c. ultim. de  
pœn. d. 1.

quòd illic vox *medicinam* omittitur, quæ neque in Capitularibus est neque apud Burchardum & Ivonem. (5) A. Sùntne alia in eadem distinctione animadversa? B. Capite sexto, cujus initium *Si quis non dicam*, addunt; *Valde alienæ sunt hæ leges à disputatione de pœnitentia.* & capite xxxii. extremo: *Gratianus, vel quicumque est auctor hujus tractatus, ostendit se non rectè sentire de confessione sacramentali; cùm tamen hoc sit certum, quòd dum adest facultas sacerdotis, quodvis peccatum mortale debemus ei secretò confiteri. Et quia Gratianus saepe repetit hujusmodi errorem, fiat hoc loco notatio.* A. Si vox *debemus* consilium significat, nihil Gratianum lædit hoc consilium; si præceptum, non semper verum esse alij dicent, sed certis casibus, putà mortis, vel periculi, vel ante eucharistiæ sumptionem. Alio tempore servanda est constitutio Innocentij tertij; & ei qui eam observaverit satis est si propositum habeat confitendi tempore debito, cum contritione præsentis, ut docet Antoninus tuus post beatum Thomam. (6) B. Notantur etiam alia Gratiani verba capite xxvii. *Vnde evidentissimè datur intelligi quòd sine confessione oris peccata possunt deleri.* Falsum est, inquit, hoc inde probari. Et postea: *Latentia verò peccata non probantur sacerdoti necessario esse confitenda & ejus arbitrio expianda.* Non rectè, inquit, loquitur. & cap. xxx. *Luce clarius constat & c.* (7) Capite xix. (cujus initium, *Aut facta*) mendum in illis ver-

*De pœn. d. 1. cap. 6. Si quis.*

*c. 32. Facilius. p. Hoc idem. e. d.*

*c. 86. Quis aliquando. p. E contra auctoritas. d. p. Latentia. & c. 30. Si cui. in sine e. dist.*

*c. 19. Aut facta. e. d.*



bis est: *Tempus discernit emanforem à furivo*. Scribendum enim est *fugitivo* ex Pandectis. (8) Sed melius est ordine librorum Gratiani de ejus erroribus agere. A. Id in alium diem differamus. Hoc tantum admono, superioribus Antonini locis extare Philini triginta ferè notata loca, quibus Gratianus ab glossis, ut vocat, reprehendit. (9)

*Philin. in c.*  
Ex parte. 2.  
ver. Leges  
inertæ. nu.  
43. prope fin.  
de rescript.

## ADDITIONES.

(1) **D**E consecrat. distin. 4. cap. 24. in Romano libro inscriptio est: *Item Nicolaus ad consulta Bulgaror. c. 104. A quodam Iudæo nescitis, utrum Christiano, an pagano &c.* In margine hæc sunt: *Sent. 4. dist. 3. Alger. l. 3. c. 6. Ivo p. 1. c. 148. Pann. l. 1. c. 29.* Et in Notis: *Iudæo* ] *Apud Algerum est, ut audio. Verùm in originali post hoc caput sequuntur verba hæc: Sed primùm, utrum Christianus an paganus ipse Iudæus extiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum est, Ipse vir pro ipse Iud. scribo.*

(2) Distin. 71. c. 6. in eodem libro inscriptio est: *Item ex Concilio Carthagin. 1. c. 5. Primatus Episcopus Vegelesitanus dixit &c.* In margine est: *Burr. l. 2. c. 43. Ivo p. 6. c. 144. Ans. l. 6. c. 124. Primatus Al. privatus. Scribo, Privatus.*

(3) Gratiani verba sunt in eodem libro 24. q. 1. in principio: *Quòd autem ab hæretico aliquis deponi aut excommunicari non possit facillè probatur. Omnia enim hæreticus aut jam damnatam hæresim sequitur, aut novam confingit. Qui verò hæresim jam damnatam sequitur, ejus se participem facit &c.* Et cap. 4. *Audivimus. par. 1. Sin autem ex corde suo novam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit: quia nec potest dejicere quemquam jam prostratus &c.* In Notis est: *Sin autem* ] *Non defuerunt qui crederent hæc quoque esse Alexandri. Sed apud Ivonem & in Pannormia non habentur.*

tur; & in vetustis Gratiani codicibus hic est ea nota que solet apponi verbis Gratiani. Et est secundum membrum divisionis in ipso questionis principio à Gratiano proposita; omninoque & stylus & qua dicuntur ad id confirmandum concurrunt.

(4) Hæc etiam sunt in eodem libro Gratiani verba distin. 50. c. 24. Sacerdos. par. 1. Sunt quidam quos non odium criminis, sed timor utilitatis, & amissio proprii gradus, & ambitio celsioris ad pœnitentiam cogit. Hos sacri canones irrecuperabiliter (al. irreparabiliter) dejiciunt &c. Et cap. 32. Presbyteros. in fine. c. dist. Possunt & aliter distingui præmissa auctoritates. Quorum enim crimina manifesta sunt ante vel post ordinationem, à sacris ordinibus dejiciendi sunt. Quorum autem peccata occulta sunt, & satisfactione secreta secundum sacerdotis edictum purgata, in propriis ordinibus remanere possunt. In margine est: Raba. par. c. 1.

(5) Initio tractatus de pœnitentia in Gregoriana editione scriptum est: *Quæstio tertia (causæ xxxiii.)* Et in margine est: *TRACTATUS de pœnitentia.* Et mox Gratiani verba sunt: *His breviter decursis, in quibus extra negotij finem aliquantulum evagati sumus, ad proposita causa tertiam questionem pertractandam (qua queritur, Vtrum sola cordis contritio- ne & secreta satisfactione absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere] redeamus &c.* Ad vocem *Vtrum* est in margine additum: *DISTINCT. I.* Et in Notis: *Gratianus ad explicandam hanc tertiam questionem multa attulit. Quam perlongam tractationem, qui eum secuti sunt, in septem distinctiones diviserrunt. In antiquioribus enim exemplaribus nulla est distinctionum separatio; in aliquibus verò in margine tantum est: Distinctio prima, secunda, &c. Vtrum sola] Hæc conjungenda sunt cum superioribus, quemadmodum in pervetustis sunt conjuncta. ab illis enim pendent. Ante caput extremum ejusdem distin. i. hæc Gratiani verba sunt: Quibus auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adharendum*

sit, lectoris iudicio reservatur. Vtraque enim fautores  
 habet sapientes & religiosos viros. Vnde Theodorus  
 Cantuariensis Archiepiscopus ait in pœnitentiali suo:  
 Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata di-  
 cunt, ut Græci. Quidam verò sacerdotibus confiten-  
 da esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia &c.)  
 In Notis hæc sunt: *Lectoris iudicio*] *Certissimum est*  
 & pro certissimo habendum, peccati mortalis necessa-  
 riam esse confessionem sacramentalem, eo modo, eo tem-  
 pore adhibitam quo in Concilio Tridentino post alia  
 Concilia est constitutum. Extremo capiti hæc addun-  
 tur in Notis: Burchardus etiam & lvo caput hoc ci-  
 tant ex pœnitentiali Theodori. In Capitularibus adje-  
 ctis cap. 58. hæc leguntur: Quidam Deo solummodo  
 confiteri debere dicunt peccata, quidam verò sacer-  
 dotibus confitenda esse percensent. Quod utrumque  
 non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam  
 &c. In Concilio Cabilonensi 2. c. 33. eadem ferè habetur,  
 addita ad initium voce Quia & nonnullis aliis in  
 extrema clausula, qua notabuntur. Ut Græci] Hæc  
 verba, itémque illa, ut tota ferè sancta Ecclesia, &  
 illa & hoc perfectorum est, & illa Quod est iustorum,  
 absunt, quemadmodum à Capitulari, ita etiam  
 à Concilio. In margine hæc sunt: In Capitul. adjectu  
 c. 58. In Cabil. Conc. 2. c. 33. Burch. l. 19. c. 145. lvo  
 p. 15. c. 155. Ad illa verba Sed tamen Apostoli &  
 additur in margine: Et secundum Apostoli institutio-  
 nem confiteamur. Iac. 5. Et in Notis: In Capitulari  
 & Concilio pendet adhuc oratio, & priori illi membro  
 ut & Deo &c. redditur nunc alterum membrum hæc  
 verbis, & secundum Apostoli institutionem &c.] In  
 scholio: Docet] id est. Hoc est signum sacerdoti quod  
 peccata dimittantur confitenti per contritionem. Addi-  
 tur in margine: Immo docet ordinarium purgandi me-  
 dum esse per sacerdotis absolutionem. Deus enim, ut  
 continuò subjungitur, sanitatem largitur plerumque  
 medicorum operatione. Operatione, inquit, non osten-  
 sione.] Ad vocem sanctitatis additur in margine: Al-  
 sanitatis. In eodem extremo capite est: plerumque  
 hanc præbet sua pœnitentia medicinam invisibili ad-  
 ministratione, plerumque medicorum operatione. In  
 Notis

Notis est: *Sua poenitentia medicinam*] In Concilio atque apud Burchardum & Ivonem legitur. suæ potentia. A Capitulari autem (prout ex ipsius lectione animadverti potest) totum istud primum abest periodi membrum.

(6) Capite sexto *Si quis non dicam*. ejusdem distin. 1. in eodem libro non sunt verba ex scheda selectorum virorum relata. Nihil etiam additum est cap. 31. *Facilius*. in fine.

(7) Quod dicitur apud Gratianum cap. 87. Romanis, c. dist. 1. cujus initium *Quis aliquando*. par. E contra auctoritas. his verbis notatur: *Vnde evidentissime datur intelligi quod sine confessione oris peccata possunt deleri*. In Notis est: *Vnde evidentissime*] Loquitur ex persona adversam partem sustinentis. Verè enim ex illis auctoritatibus non hoc colligitur. *Qui enim sacerdoti tanquam Deo confitetur, is minimè dicitur se apud alios accusare, sed potius, nescientibus aliis, se ipsum punire &c.* Ad vers. *Latentia verò peccata*. nihil additur. Nihil etiam additur cap. 30. *Si cui*. vers. *Luce clariùs constat*.

(8) Inscriptio capituli 19. *Aut facta*. c. dist. in eodem libro hæc est: *Vnde in Digestis tit. de poenis*. In margine est: *Ibid. le. 16.* (hoc est, lib. 48. Digest. tit. 19.) Ad illa verba, *Tempus discernit emanforem à furtivo*, additur in Notis: *Furtivo*] In aliquot vetustis codicibus & originali est *fugitivo*. sed ob glossam non est emendatum. Ad illa verba, *Eventus spectatur, ut à clementissimo*, additur: *Clementissimo*] Sic emendatum est ex pandectis Florentinis, cum antea legere-tur, *dementissimo*. *Quod in Basilicis lib. 60. tit. 52. l. 16. sic explicatur: Vir clemens, nec seditiosus &c.*

(9) Verba Philini sunt. Gratianum improbat.  
Glossa in prin. dist. 13.  
Gl. 2. in prin. dist. 18.  
Gl. ult. in c. *De Syracusana*. (13.) dist. 28.  
Gl. in c. *Cenomanensem*. (13.) par. *Cum ergo*. ver. *de fornicatione*. dist. 56.  
Gl. in c. *Statuimus*. (8.) p. *His omnib.* dist. 61.  
Gl. in c. *Valentinianus*. (3.) ver. *electus*. dist. 63.

- Gl. un. in c. Scire. (8) p. *necessario*. & c. seq. di. 76.
- Gl. 2. in c. *Sicut Christus*. (75.) I. q. 1.
10. Gl. ult. in c. *Cum scriptura*. (83.) I. q. 1.
- Gl. in c. *Quod quidam*. (97.) p. *Opponitur*. ver. *potestas*. & ver. *potestatem*. c. q. 1.
- Gl. in c. *Ersi illa*. (23.) & gl. 2. in p. *Breviter*. I. q. 7.
- Gl. 3. in c. *Euphemium*. (7.) p. *Hinc colligitur*. ver. *infamem*. 2. q. 3.
- Gl. in c. *A iudicib.* (33.) p. *Quod de arbitris*. ver. *valebit*. 2. q. 6.
15. Gl. in c. *Ei qui*. (41.) p. *Nullus*. ver. in *notoriis*. 2. q. 6.
- Gl. in c. *Si testes*. (3.) p. *Soli testes*. ver. *instrumentis*. 4. q. 3.
- Gl. in c. *Nullus*. (2.) p. *Aliquando*. ver. *per officiales*. 4. q. 4.
- Gl. in c. *Testimonium*. (9.) p. *Nec honore*. ver. *perjurando*. II. q. 1.
- Gl. in summa. 12. q. 1.
20. Gl. in c. *Pracipimus*. (24.) p. *Cum ergo*. ver. *Sed notandum*. c. q. 1.
- Gl. in c. pen. p. *Si ergo*. ver. *hoc meum*. c. q. 1.
- Gl. in c. *Non sanè*. (15.) ver. *patrocinium*. 14. q. 1.
- Gl. in c. *Si quis*. (29.) p. *Qui autem*. ver. *repetundarum*. 17. q. 4.
- Gl. in c. *Si illic*. (29.) p. *Sed objicitur*. ver. *Achab*. 23. q. 4.
25. Gl. I. in c. *Sic quippe*. (45.) p. *Ex his*. 27. q. 2.
- Gl. in c. *Si quis*. (24.) p. *Quamvis*. ver. *Illud verè*. 32. q. 7.
- Gl. in c. *Omnis*. (37.) p. *Alij è contrario*. de pæn. d. 1.
- Gl. in c. *Quis aliquando*. (87.) p. *E contra*. ver. *confitemini*. c. dist. 1.
- Gl. in c. *De quarta*. ver. *quadragenaria*. de præf.

